



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Simone Mago, & altera Helena. Cap. XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

De Helena Adiabenorum regina.

CAP. XI.

FAmis porrò quæ Claudio dominante passim longè lateq; serpebat, deinceps in scriptis suis mentionem facit, isto modo. Dum hæc geruntur forte fortuna in *Lib. 20.*
gens fames vniuersam Iudæam peragravit, Quo quidem *anti.ca.3*
tempore, Helena regina frumentum, quod grandi pecunia ex Aegypto coemerat, his qui erant in egestate benigne distribuit. Atque ista testimonio illi in Actis Apostolorum perscripto congruètia reperies, nimirum quòd *Act. 11.*
discipuli qui commorabantur Antiachiz prout quisque habebat, proposuerunt in ministerium habitantibus in Iudæa fratribus, quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ & Pauli. Helenæ verò (cuius apud hunc scriptorem fit mentio) columellæ illustres illæ quidem & eximie in suburbij Aeliz ciuitatis cernuntur. Hanc ferunt gentis Adiabenorum imperium tenuisse.

De Simone Mago, & altera Helena.

CAP. XII.

Porro autem cum fides in seruatorem & Dominum nostrum Iesum Christum vbiq; ad omnes homines iam dimanasset, Satan humanæ salutis hostis capitalis, urbem, quæ propter imperij decus cæteris omnibus dominata est priusquam fidem Christi reciperet, astute præripere præoccupareque molitus, eò Simonem, quem antea posuimus, quasi manu deducit: atque callidis illius viri præstigijs opem ipse ferens, complures qui Romæ domicilia rerum suarum collocassent in errorem inductos suo addixit obsequio. Declarat hoc quidem Iustinus, qui non longe post Apostolorum tempora vixit, quiq; multum nostræ religionis excelluit disciplina, de quo dicam vberius vbi tempus datum fuerit, ea quæ sunt eius virtuti & doctrine cõsentanea, exponèdi. Hoc loco aut historiam ab eo in priori sua Apologia quâ ad Antonium pro religione Christiana scripsit, traditam recitabo. Post domini in celum ascensionem, homines quidam dæmonum impulsu incitati seipsos

EVSEBII HISTORIAE

deos esse dixerunt: quos quidem vos non supplicio co-
 ercuistis, sed amplis decorastis honoribus: ex quorum
 numero fuit Simon quidem Samaritanus, ortus è vico,
 qui dicitur Gitton: qui Claudij Cæsaris temporibus,
 per astutiam dæmonum vim suam in eius animo exercen-
 tium Rómæ omnium ciuitatum facile principis, Magi-
 cas virtutes & portenta edens, pro Deo habitus est, &
 statua apud vos donatus, quæ inter duos pontes super
 fluuium Tiberim extrinctos crecta est, hancque inscri-
 ptionem latinis literis expressam habet. *Simoni Deo*
Sancto. Quinetiam Samaritani propè omnes, non
 pauci quoque ex alijs gentibus, eum tanquam præci-
 puum Deum confitentes, magna reuerentia obseruant.
 Itemque Helenam quandam (quæ antea apud Tyrum
 Phœnicæ meretricio questui seipsam prostituisset) co-
 mitem eius per idem tempus assiduam, velut primam
 mentem ex Simonis sinu elapsam nuncupant. Hæc ille.
 Cum hoc consentit etiam Irenæus in primo libro con-
 tra hæreses: qui & viri impietatem. & scelestam eius do-
 ctrinam pariter describit. Quam hoc loco cômemorare
 esset propè superuacaneum, præsertim cum ijs, qui non
 illius solum, verumetiam aliorum omnium hæreticorum
 ortus, qui post eius tempora primas erroris partes obti-
 nuerunt, viuendi etiam rationes falsorû dogmatum cau-
 las, deprauatos & perditos singulorum conatus accura-
 te cognoscere desiderant, ea sane in libro Irenæi supra
 citato ab authore apte ad institutum suum tradita facile
 licet perspicere. Simonem igitur primum cuiusque erro-
 ris authorem, & quasi caput extitisse accepimus: ex cuius
 temporibus hætenus, qui sectam & hæresin ab eo tra-
 ctam persequuntur, modestam & grauem Christiano-
 rum religionem ac doctrinam, quæ propter integram
 puramq; viuendi rationem ex ea formatam ab omnibus
 pleno ore celebratur, amplecti callide & astute præte-
 xunt: & dum vana superstitione, quæ in simulachris co-
 lendis sita est, immunes & liberi videri volunt, eiusdem
 laqueis, nihilominus seipsos irretiunt. Nam coram pi-
 ctura & imaginibus, tum ipsius Simonis, tum Hele-
 næ (de qua ante à uobis, cum de illo loquebamur,
 mentio

mentio facta est) prostrati, odoribus incensis, victimis & libamentis eos venerari sedulo pergunt. Quæ auté apud huius sectæ æmulos, hisce secretiora magisq; arcana putantur, & quibus quemq; primum vt auribus acceperit, penitus attonitum reddi, vel potius vt verbo quodam utar, quod est apud illos scriptis proditum oraculiq; loco usurpatum $\delta\alpha\mu\beta\omega\theta\eta\sigma\epsilon\omega\varsigma$, id est, admiratione quadam obstupescere aiunt, ea eiusmodi planè sunt, & tam plena re vera stuporis, amentia, & insania, vt videantur non modo non honestè posse scriptis tradi, sed ne ore quidem, propter insignem turpitudinè & obscenitatem, à viris modestis aliquando sine scelere efferri. Nà quodcumque aliquando omni flagitio scelestius & improbius in cuiusque cogitationem cadere possit: hæc detestabilis & maxime pestifera hæresis illorum qui mulierculas miseris omni vitiorum genere cumulatas turpiter & flagitiose ludificantur, longissimè superat.

Quamquam verò talium & tam nefandorum scelerum procreatorem & architectum Simonem, eo tempore tanq; acrem præclarorum & diuinorum seruatoris nostri apostolorum aduersarium nequam & improba diaboli potentia (quæ omni honestati infesta est, quæq; humanæ salutis euertendæ occultas semper parat insidias) de industria excitauit: tamen diuina Dei & cœlestis gratia, quæ ministris suis perpetuo opitulatur, per illorum piorum hominum aduentum & præsentiam. Satanæ faces in humanum genus accensas intentatasq; summa cum celeritate restrinxit: atq; omnem arrogantiam altosq; spiritus, qui se contra Dei cognitionem insolenter extulissent, per illos repressit, atque adeo è medio sustulit. Quapropter neq; impia Simonis contra Christum coniuratio, neque alterius cuiusquam eorum, qui tum in lucem prodierunt, apostolorum temporibus se sustentare poterat. Nam illustre veritatis lumen & diuinus ille sermo, qui modo (Dei aspirante numine) in humanum genus splendorem suum effuderat, inque terris quasi pubescens vigerat, & cum proprijs ac suis apostolis versatus erat, omnes id genus conatus strenue euicit profligauitq;. Etenim vt exéplo rem illustremus, præstigiator ille, quem antea posuimus velut

EVSEBII HISTORIAE

à diuino & admirabili fulgore, oculis mentis penitus perstrictus, ex templo (cum iam antea in illis sceleribus, quae nefarie & perditè consciuerat, à Petro Apostolo, in Iudæa manifesto deprehensus fuisset) longissimum iter terra mariq; instituens, ab oriente ad occidentem vsque quasi profugus vagatus est, istumq; viuendi modum solum sibi ex sententia fore arbitratus. Sic tandem ad urbem Romam profectus (cum iam ibi diabolica vis & potentia ad hominum perniciem assidue excubans magno subsidio illi veniret) breui suum institutum eousq; perduxit, vt ab illis statua in eius venerationem erecta, honoraretur, vt Deus.

De Petri Apostoli in vrbe Roma prædicatione.

CAP. XIII.

CAeterum ista non ad longinquum temporis spatium ex sententia illi processerunt. Nam è vestigio, sub ipso Claudij imperio benigna & propitia Dei totius huius vniuersitatis rectoris erga humanum genus, prouidentia, fortem ac præpotentem, & reliquorum omnium Apostolorum propter virtutis amplitudinem facile principem Petrum, Romam versus ad eiusmodi pestiferam vitæ humanæ corruptelam delendam quasi manu deduxit. Qui quidem, vt pote generosus & strenuus Dei dux, diuinis armis obtectus munitusq;ue, eximiam & pretiosam tanquam mercaturam veri luminis, mente sola comprehensi, ab oriente ad occasum vsque deportauit, ipsamq; regni cælorum prædicationem, caelestem scilicet lucem & salutarem animorum doctrinam palam diulgauit.

De Marci Euangelio. CAP. XIII.

Sic ergo cum diuinus sermo iam ad Romanos peruassisset, Vesana Simonis potentia extincta est, & homo ipse actutum vnà penitus profligatus. Ac tanta pietatis lux eorum mentibus, qui Petrum audiebant affulsit, vt non eius sermoni omnino auscultando, non doctrinae diuinæ prædicationis, minime scriptis, proditæ attendendo contenti acquiescerent: Sed à Marco. Petri comite (cuius euangelium esse fertur) multis varijsq; præcibus contenderent, vt monumentum illius doctrinae, quam